



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 19. Correctus locus ex Oratione Ciceronis pro domo sua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

quàm alteri tradunt: tanto ille vobis, quàm mihi, peiorem
honorem habuit. Nam me iniuriam ferre, vos facere vult,
Quiritis: vt hic conquestio, istic vituperatio relinquatur.
Eodem autem modo Græci quoque ὄνειδος, cum ferè
in infamiae ac turpitudinis significatione ponatur: non
nunquam tamen pro gloria accipiunt. vt,

Καλὸν γέ μοι τ' ὄνειδος ἢ ἄωνείδιστος. &c.

Θήβαις κἀλλιστον ὄνειδος. &c.

Καλὸν γ' ὄνειδος τῶν νεωστὶ νυμφίω.

Sed & κλέος non nunquam in malam partem accipi-
tur. idque non ex eo tantùm intelligi potest, quòd
apud Homerum sæpe legitur καλὸν κλέος: vt ex eo con-
iiciamus, esse etiam aliquod κλέος ἢ καλόν: sed multò
magis ex hoc Euripidi versu, quem apud ipsam di-
cit Helena:

Οὐπω νῦν Ἑλένης αἰσχρὸν ὦλεσε κλέος;

In illis autem Metelli verbis nescio, an illud annotare
debeam: *facere contumeliam*, quod loquendi genus Ci-
cero in Antonio reprehenderit, legi. sed & apud Plau-
tum, & apud Terentium crebra illius exempla sunt.
Neque tamen iniuria notauerat Antonium Cicero:
quod vulgò creditur. nam Antonius ita dixerat, *facere
contumeliam*, vt, *facere damnum*, aut *facere iacturam*
dicimus. quo modo nunquam quisquam, opinor,
præter eum locutus reperietur.

Correctus locus ex Oratione Ciceronis pro Domo sua.

CAPVT XIX.

VOCABVLVM, *actus*, pro eo quod Græci dicunt
ἐπέγραψαι, planè barbarum est, & prisca illis tem-
poribus, quibus Romani sermonis integritas viguit,
inaditum. eo tamen non nullos vt video, & quidem
eccum, qui se non Latinè modò, sed etiã, si diis placet,
Cicero-

Metelli
lectio
LII
25

Ciceronis more loqui putant. Decipiuntur autem precipuè corrupto quodam loco ex Oratione pro domo sua ad pontifices: quem emendare institui: ut isti, quae se è Nizolij libro germanos Cicerones esse credunt, errore hoc suo liberentur. Non enim ita locus ille legendus est: *Omnem diu collectam vim improborum, quae inueterata compresso odio atque tacito iam erumpet actum, tam audaces duces excepi meo corpore.* Sed hoc modo, ut in antiquis libris esse, homines certi & fidei digni affirmant: *Omnem diu collectam vim improborum quae inueterata compresso odio atque tacito iam erumpet, nata tam audaces duces, excepi meo corpore.*

Correctus locus è secundo De Finibus.

CAPVT XX.

EIUSDEM generis est *odrilicium*: quae inepta vox & nihil planè significans, ita insedit in loco quodam è secundo De Finibus, ut omnes propè iam libere occuparit. ita enim ibi legitur: *Assint etiam formosi pueri, qui ministrent. resplendeat his vestis, argentum, odrilicium, locus ipse.* at in libris veteribus hoc modo: *Assint etiam formosi pueri, qui ministrent. respondeat huic vestis, argentum, Corinthium es, aut Deliacum, aedificium, locus ipse.* quae quin vera scriptura sit, non est cur quisquam dubitandum putet. Itaque ipsum quoque resplendendi verbum mihi quidem valdè suspectum est. nam hoc vno loco nitebantur, qui illud, ut Latinum, recipiebant. nunc autem, nisi aliquod aliud testimonium reperiatur, videtur sanè ei quoque lege Papia periculum aliquid imminere. hoc igitur alij cogitabunt.

M. A. N.